



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

47 Maledicere irrationabilibus est res superstitiosa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

quod excommunicationis gladius, qui tam sobriè, & tam cautè est exercendus temere, & levibus de causis incureretur, ex quo magis contemni posset, quàm formidari, & perniciem potiùs pareret, quàm salutem, contra ejusdem sacri concilij Tridentin. dispositionem, *dict. capit. 3. in princ. de reform. sess. 25. cap. multi, vers. auferre malum, 2. quest. 1.* Pluribus etiam ac solidis fundamentis Doctorum animalia excommunicari, & anathematizari non posse, probat idem Cassan. *dict. conf. 1. par. 5. à princ. usque ad numer. 150.* licet postea contrariam partem amplectatur, quam tamen non probat, ut cuicumque illud legenti patet ad sensum.

46 Theologi autem ꝑ tenentes, quod animalibus irrationalibus maledicere liceat, loquuntur in terminis peccati, an, scilicet, illis maledicere sit peccatum, & in his terminis post Cajet. loquitur Cardin. Tolet. ubi inquit, quod ratione mali ab ipsis illati possunt maledici. Quia non est, tam maledicere creaturæ, quam malo, ut in *Infruct. Sacer. lib. 4. capit. 13. numer. 7.* & propterea non est peccatum, illi extrajudicialiter maledicere; sed judicialiter excommunicari, aut maledici non possunt, idque credere, vel excommunicare superstitionis esse, tenet Navar. in *conf. 5. alias 57. num. 8. & 12. de sent. excom. lib. 5. par. 2.* Qui in terminis contra *conf. Cassan. scripsit, & Graff. decis. aur. cap. 7. numer. 15* in quos postea supra à me in rem hanc congesta forte incidi, necum ob id, quod idem cum illis senserim, gratulatus, arg. *Idem in cap. Valentinianus, §. cum autem 63. distin. excommunicari, aut anathematizari non potest, nisi homo baptizatus ex supra allegat. quibus modo addo Navar. eodem*

conf. 5. numer. 6. & Graff. eodem cap. 6. numer. 15.

47 Ea est enim dæmonis caliditas, ꝑ ut, cum manifestis, & apertis ictibus animas petere vereatur, occultis technis, falsisque nominibus sub specie boni miseris mortalibus conatur imponere, Hujus ideo astutia sæpe inducuntur homines ad credendum solis excommunicationibus, maledictionibus, & conjurationibus animalia irrationalia ex sententiarum, & maledictionum bonitate, & virtute fugari posse, in quibus tamen actionibus, quandoque dæmonis potestas operatur, qui è terris dicta animalia abstulit, & plerumque occidit, ut ita deceptos falsa credulitate detineat, eoque non principaliter in Deo, sed potius in eisdem operationibus confidentes, sibi manuteneat. Unde, cum hujusmodi manifestam superstitionem sapiant, non est illis in hærendum, Navar. *dict. num. 12. & Graff. dict. cap. 6. numer. 22. & 13.*

48 Eiusdem ferè generis est ꝑ quod dæmones solent cum viros, & mulieres seducunt, ut veneficijs veneficia curent applicanda. Habet enim astutus ille hostis delectum veneficarum gregem, quæ illius opera, & consilio pueros fascinant, infantes plerumque cum matribus, ac nutricibus venenis inficiunt, domestica animalia in ipsis ædibus ad extremam maciem, & ad necem malefico tactu perducunt, nihilque sceleris est, quod non intentent, sub tam scelestissimo ducè, nec tunc in loco, ubi talia monstra degunt, tam immania admittunt, sed per alias urbes, & vicina oppida circumvolant sæpe realiter, & corporaliter de loco ad locum dæmonis opera sese transferentes, Sylv. in *ver. hæresis, §. 3. numer. 6. & Mart. del.*

Mmm 3 Rio,